DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE FLAVA.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE FLAVA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES FRITH,

EX INSULA BERMUDA.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

1821.

AUGUSTO GULIELMO HARVEY,

M. D.

EX INSULA BERMUDA,

JOANNES FRITH, S. P. D.

Cum sit benigno animo nihil jucundius quàm conferre gratias, ita grato, nihil suavius est quàm referre. Quàm lubenter igitur hanc occasionem àrripiam agnoscendi quantum tibi, Vir optime, tot nominibus debeam, tute optimè judicabis. Mihi solùm superest est ut dicam, summam meam spem esse, ut ego te aliquando peritia, benevolentia, omnibus denique virtutibus, referam, tu verò ut diu has exerceas, non magis ad tuam laudem, quàm ad generis humani decus atque honorem.—Fac valeas.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE FLAVA.

AUCTORE JOANNE FRITH.

INFELIX est plurimumque dolendum hunc morbum tantam curam studiumque, certe in Britannia nostra, sibi non vindicâsse, quantum gravitas ejus manifeste desiderat. Quae enim dicta sunt de origine ejus plerumque nimis violenter nimiaque invidia dicta sunt; quod nihil aliud effecit quam ut faceret homines negligentes in causis curationeque gravis hujus morbi investigandis. Non tanta quidem mea experientia est ut possim sententiam firmam de febris flavae origine proponere: res enim altis tenebris

adhuc obvolvitur, etsi plurimum factum est a Bancroft, Jackson, aliisque quibusdam ad rem illustrandam. Ex horum virorum libris id quod ipse novi, magna ex parte, derivatur. Cogito igitur primum causas proponere, deinde signa, tum Diagnosin Prognosinque et aspectum corporis post mortem, atque ita denique ad curationem venire.

DE CAUSIS.

In tractando de causis hujus febris, non possum non sentire quantum absit ut faciam modo quo res tam gravis tractari debet. Hoc enim argumentum fortasse acriores controversias apud scriptores medicos excitavit quam aliud ullum ; neque tamen adhuc non admodum obscurum est. Hunc morbum ex contagio non oriri vehementer credo ; sententiamque maxime verisimilem eam esse quae morbum ad miasmata ex pa-

ludibus refert. Quantum autem valeant haec miasmata in febribus movendis notatum est a Lind, Blaineque et Hunter. Horum primus ait vix unum in decem, ex iis qui missi sunt ad sedem collocandam in insula Ballambangor prope Borneo, post primos sex menses superstitem fuisse. Idem in pagina nonagesima nona dissertationis suae de morbis Europaeorum in calidis regionibus, ut causam magnae hujus pestilentiae sequentia dicit, "that from October till April, during "the north-east monsoon, the wind comes "from the sea, and the settlement is perfectly healthy; but from April till October, "during the south-west monsoon, the wind "blows over the marshes both of this island "and Borneo, and produces fevers of the "most malignant nature, which frequently "cut off the patient in 12 or 14 hours." Doctor Blaine quoque dicit quod, in classe nostra, vix quisquam hac febre correptus est, praeter eos quibus opera data est lignum aquamque colligendi, quodque in plerisque potuit referri ad aëra silvarum paludumque.

Denique Doctor HUNTER narrat homines admodum citò aegrotare solere post laborem dolia aqua implendi ; quae dolia plerumque in humida paludosaque terra collocantur; atque ita ex sexaginta vel septuaginta qui hoc opere occupati sunt, interdum ne unum quidem febrem vitare. Per aestates annorum 1817 et 1818 febris pestiferae naturae, quaeque omnia signa ostendebat (quantum colligere potui) febris flavae, in insula Bermuda accidit. Haec insula autem puritate aëris semper celebris fuit, quodque desiderabat omnes hos morbos qui in India Occidentali tantopere semper saevierunt. In pluribus autem partibus ejus paludes sunt satis amplae, terraque in quam navalis statio constructa est locaque vicina admodum humilia sunt, saepeque mari increscente aestu lavantur. Calor autem per dictas aestates major fuit quam antea unquam cognitus erat. Thermometrum plerumque inter 85° et 90° fuit, saepeque prope 100°. Febris primum se ostendit ea insula in qua statio navalis sita est. Sustulit plerosque ex iis qui ope-

ribus superfuerunt, quique in iisdem occupati sunt. Ex quatuordecim autem de societate militari, qui nuper ex Anglia advenerant, duodecim mortui sunt; eademque vehementia morbus inter milites legionis sexagesimae secundae in anno 1817, et legionis quintae decimae in 1818 saeviit. In proxima autem legione etiam plures mortui sunt, ideo fortasse quia altera legio diutius in insula fuerat antequam morbus incepit. Perpauci ex indigenis, pro rata parte, mortui sunt. Ut autem colligantur alia testimonia potestatis miasmatum ex paludibus ad movendas febres, solum referam ad opera Joannis Pringle Equitis, Doctorisque Clarke. Potest nunc rogari quae sit natura origoque et principia horum miasmatum; utrum sint vapores purae aquae, an hi vapores cum aliquibus ex iis materiis quae solum formant conjungantur. Ex iis sententiis prior sustenta est quibusdam auctoribus non parvi nominis; sed si hoc verum est, quapropter nautae febribus non magis objiciuntur ubi navigant quam in

portu. Bene cognitum est nautas plerumque, si non semper, optima valetudine ubi navigant frui: id quod notatum est Doctoribus LIND et BLAINE. Tuto autem affirmari potest aëra maritimum multo magis onerari vaporibus aquosis quam Mediterraneus, quia multo major vaporatio necesse est fiat ex ingenti facie aquae quam unquam accidit ex superficie terrae aqua non contectae. Inde colligi potest puram aquam in quacumque forma sit, in aëre communi febres non movere, exhalationesque ex paludibus, si ex simplici aqua constarent, innocuas fore; atque ita necesse esse aliquid aliud accedat quod pestiferas proprietates iisdem praebeat. Discrimina autem inter compositionem solorum paludosorum aliorumque parva sunt. Secundum recentissimas chemicorum investigationes, vulgare solum ex sequentibus rebus constat; ex terris calcariis siliciisque et argillaceis, quibus interdum accedunt magnesia oxidumque ferri, atque adeo res vegetabiles animalesque variis rationibus, cum salibus quibusdam et aqua.

Harum rerum rationes plurimum distant, siquidem longe plus aquae rerumque vegetabilium et animalium, pro rata parte, in solis paludosis est quam in siccis. Cum vero res fossiles in vaporem converti non possint, certe nullo calore cui aër communis aut terra naturaliter objecta est, manifestum est malos affectus miasmatum ex rebus fossilibus quae in solo sunt pendere non posse. Rursus ars chemica docet omnia corpora organica, si modo calor et humiditas adsunt, incipere resolvi in principia sua, simul atque eorum vita deleta fuerit, exque iis varios spiritus formari, quales sunt nitrogenium, hydrogenium, acidum carbonicum, et iis similia. Igitur ex magna copia plantarum bestiorumque quae reperiuntur in paludibus, constat aërem certe continere, praeter communem aërem humiditatemque, plures vapores qui emissi sunt ex rebus vegetabilibus animalibusque per decompositionem. Quoniam igitur febris quae ex miasmate oritur neque ex humiditate proficisci potest, sequitur ut ex rebus animalibus vegetabilibusque

in principia sua resolutis proficiscatur. Cum vero opiniones communes de causa febris flavae breviter dixerim, progrediar nunc ad ejusdem signa proferenda.

DE SIGNIS.

Hic morbus, ubi endemicus est, junioresque afficit quibus plenus habitus corporis est, quique Indiam Occidentalem ex regione magis temperata nuper advenerunt, pessimam suam formam exhibet. Ubi res ita se habet, animadvertimus primum aliquid inquietudinis, cum levi sensu frigoris nauseaque; pulsus arteriarum validus est; magnus calor; facies oculique rubent; dolor ventriculum infestat; lingua sordibus crassis albidisque contegitur: his brevi accedunt bilis vomitio primum flavi coloris, deinde viridis. Ut procedit morbus, materia quae vomitu ejicitur nigrescit, dolor calorque intenduntur, assidua vigilia est, saepe cum delirio. Haec

accessio vocata est inflammatoria. Perstat horas triginta et duas; interdum etiam ad septuaginta et duas producitur, pendetque, ut verisimile est, ex inflammatione, praecipue cerebri, vel ex circuitu sanguinis perturbato, qui accessiones febrium semper protrahit. Post hanc igitur accessionem remissio est, sub qua plurima signa leniuntur, aegerque in meliore spe esse putatur; pulsus magis naturalis est, cutis frigidior humidiorque, et animus, si antea perturbatus est, se recipit; cerebrum autem et ventriculus priore accessione magis laesa sunt quam ut tam cito reficiantur, omnisque spes plerumque brevis est atque vana. Æger nunc quietus, vel potius torpidus, evadit, nisus ad vomendum, ex pressura super ventriculum, vel ex assumpto cibo, renovantur, summumque periculum ostendunt. Haec altera accessio sequitur, quae fortasse, tanquam prior, exacerbationem ostenderet, nisi aegri irritabilitas pene exhausta esset, idemque summa imbecillitate teneretur. Nunc vero calor corporis pulsusque arteriarum interdum

minores sunt quam ipsa sanitate; color autem et dolor in ventriculo ingentes sunt, nisus ad vomendum, quos pessimis exemplis singultus sequitur, assidui sunt, ejectionesque crebrae sunt materiae quae faeces coffeae representant ex ventriculo et ex intestinis. Ubi autem cerebrum magisquam ventriculus laesum est, haec signa non fere occurrunt; sed loco eorum sopor cum convulsionibus faciei corporisque. Ad ultimum vero jam ventum esse ostendunt petechiae super cutem, urinae dejectionumque odor putridus, imbecillus intermittensque pulsus, cum spiritu laborioso membrorumque frigore.

DE DIAGNOSI.

Duo solum morbi sunt quibus cum febris flava confundi potest, pestis scilicet et typhus. Calores autem qui necessarii sunt ad febrem flavam movendam pesti plane inimici sunt; atque ita bene cognitum est pestem nunquam reperiri in regionibus intertropicis, ibi ubi febres flava summas suas strages edit. Ad hoc bubones quoque et anthraces pestem pene semper comitantur, id quod, si excepimus tumorem quendam glandularum parotidarum, in febre flava nunquam accidit. In peste quoque homo interdum nullas febriles notas ab initio protinus ostendit; in febre flava rursus vehemens accessio febrilis semper comitatur. Huic accedit quod Africani non tam obnoxii sunt febri flavae quam Europaei; dum in peste nullum tale discrimen reperitur.

Quod ad typhum pertinet, plerumque in frigida tempestate urget, qua febris flava plane extinguitur: prior quoque morbus robustos juvenesque minus vehementer afficere putatur, quibus posterior pene semper pestiferus est. Ad hoc verus typhus nunquam se remittere animadvertitur; febris autem flava non raro in febrem plane remittentem convertitur.

DE PROGNOSI.

De modo periculi judicandum erit ex ratione auctae excitationis generalis, vitiique propriarum partium, quarum illaesa fabrica ad vitam necessaria est, ut cerebri, ut ventriculi, ut jocinoris. Excitatio autem vitiata, signaque actionis vehementis quae inde proficiscuntur, nunquam paria sunt per totum corpus. Hoc accidit ex actione partiali causarum morbi excitantium, utque propriis

partibus recta admoveantur, atque ex varia facultate, quam varia organa habent, sustinendi pares modos auctae excitationis imbecillitatisque sequentis, sine quo sana fabrica functionesve partis deleantur.

DE CURATIONE.

Quoniam hic morbus ab initio protinus omnes notas, easque vehementissimas, inflammationis generalis ostendit, oportet primum mittere sanguinem, idque statim copiosèque. Credo enim in plerisque exemplis nos posse febrem curtare missione sanguinis copiosa; quod si non tam felices sumus, tamen verisimillimum est fore ut hoc modo febris brevior sit minusque molesta. Doctor Bancroft dixit copiam sanguinis qui mitti debet esse a viginti et quatuor ad triginta uncias horis viginti et quatuor, vel etiam duodecim, ab ipsa accessione. Doctor

Jackson autem mittere solebat duas libras interdum tres vel quatuor; et ad valetudinarium societatis militaris apud Barbadoes nunquam minus quam tres, saepe quatuor vel quinque, et interdum sex libras mittebat. Vena autem iterum adaperta est post breve tempus, sanguinisque librae quatuor iterum detractae, ita ut decem librae sanguinis horis viginti et quatuor missae sint. Non opus est dicere, ut inquit Jackson, hoc tum demum factum fuisse, cum morbus vehementissimus fuit, omniaque signa congestionem inflammationemque in cerebro ostenderunt. Post sanguinis missionem, ad sensum impatibilem ardentis caloris per totum corpus levandum, frigida aqua extrinsecus admota tuta atque efficax reperta est. Adhibenda autem cura est ne aeger ex hac frigescat; siquidem multum periculi accidere potest ex magna copia sanguinis a summa cute ad partes internas propulsa, maximeque ad cerebrum; ad hoc vehemens reactio corporis fieri potest, quae accessionem non intendere et protrahere vix potest.

Quidam praeceperunt admistos simul spiritus meraciores et aquam; qui manifeste corpus magis frigefaciunt, perniciosi autem esse possunt si aeger vapores inhalat. Frigida aqua potui data plurimum valere reperitur, moderando ingentem calorem coporis, vehementiamque generalis actionis febrilis. Nihil autem magis corpus irritat quam magnus coitus stercoris in intestinis, qui omnia signa hujus morbi intendit. Hoc ubi accidit medicamentum purgans statim dandum est; qualis est submurias hydrargyri cum jalapa gambogiave aut scammonia. Si res exigit, hoc iterum iterumque adhibendum est, ita ut duae tresve dejectiones quotidie fiant, donec febris superata est. De vomitoriorum autem usu magna controversia fuit. Doctor Bancroft sequentibus causis vituperat. Ait primum haec nihil conferre ad tollendam nauseam; siquidem hoc signum raro ex cibis non concoctis in ventriculo proficiscitur, sed saepius ex sympathia inter ventriculum cerebrumque, vel ex inflammatione tunicarum ventriculi, quas

causas vomitoria tollere nullo pacto possunt. Ad hoc aegrum vomere non posse sine magno nisu, per quem robora franguntur, circuitusque sanguinis intenditur, et major copia sanguinis ad caput propellitur, ubi plurimum mali efficere potest. Hae rationes videntur esse validissimae contra vomitoriorum usum; quinetiam, non modo non vomitorium dare; sed ventriculi irritationem omnibus modis lenire debemus. Hoc consilio optimum est opium, cujus dimidium granum brevibus intervallis dandum est; alvus enematis solicitanda est; magnum vesicatorium epigastrio injiciendum; aegerque prohibendus est ne quid cibi capiat, siquidem quam maxime exigua copia hujus in ventriculo nisus ad vomendum semper movet. In dando autem opio summa cura opus est; ut quod, si nimia copia datur, delirium atque soporem, quae pariter, si non magis, ipso vomitu periculosa sunt, movere possit. Remedia autem sudorifica vix magis idonea sunt in Febre Flava quam vomitoria; si enim sudores non movent

(id quod interdum accidit) alios affectus excitare possunt admodum perniciosos, quique omnia signa adaugent, accessionemque producunt. Ubi judicamus primam accessionem jam finitam fuisse, neque esse redituram, vel certe cerebrum ventriculumque minus affecta fuisse quam ut sequentia stadia periculosa sint, possumus tunc ad corticem Peruvianum confugere ; qui ita dandus est ut ventriculo quam minime noceat : sic enim hoc organon ad proprias functiones redit, corpus corroboratur, febrisque reditus praecavetur. Quod ad Hydrargyrum vero pertinet, si ita datur ut ptyalismum moveat, multum inter se medici dissentiunt. Hoc remedium enim plurimum valere in curanda febre, ubi ptyalismum movet, dubitari non potest ; quoniam vero alia remedia habemus quae corpori minus actione eorum nocent, melius erit ab Hydrargyro abstinere donec caetera experti sumus. In plerisque enim qui ex hac febre se recipiunt, ptyalismus recreationem retardat, multasque molestas af-

fectiones movet linguae orisque et gutturis, cum aliis malis affectibus, ut agnoscunt ii ipsi qui usum Hydrargyri potissimum defendunt. Doctor WARREN opere suo quod editum est anno MDCCXL haec omni agnoscit, recentiorque scriptor, Doctor BANCROFT, ita inquit, " That he is not yet con-" vinced of the supposed benefit of this prac-" tice, for, if it should be even true as it is " pretended, that those in whom salivation " can be excited generally recover, I do not " perceive that one could thence fairly infer " that their recovery was affected by the " salivation." Dr RUSH ait ut, ubi huic soli remedio confisum est, plures quam dimidia pars eorum qui admissi sunt in valetudinarium urbanum apud Philadelphiam mortuos esse. Insuper unus ex optimis defensoribus usus Hydrargyri in hoc morbo, Doctor CHISHOLM, propemodum victima praejudicii sui factus est; dixit enim nihil praeter Hydrargyrum utile esse; ex qua opinione ita se tractavit ut pene ad mortem ductus sit, ne-

que servatus est nisi, Hydrargyro relicto, ad aliam cur ationem (ut opinor sanguinis missionem) se commisit, unde brevi pristinam bonam valetudinam recuperavit.

FINIS.